

turum Antichristum; & nunc licet ille singularis Antichristus nondum venerit, tamen multis seductores iam venerunt, qui etiam Antichristi dici possunt.

At dissentimus de Antichristo propriè dicto; an ille sit unus homo singularis. Catholici enim omnes ita sentiunt, fore Antichristum unum quendam hominem: at heretici omnes suprà citati docent, Antichristum propriè dictum, non esse singularem personam, sed singularem thronum, sive regnum tyrannicum, ac sedem apostolicam eorum, qui Ecclesiæ præsident.

M A G D E B U R G E N S E S Cent. I. lib. 2. cap. 4. col. 435. Docent Apostoli, inquit, Antichristum non fore unam tantum personam, sed integrum regnum, perfallos Doctores in templo Dei; id est, in Ecclesia Dei præsidentes, in urbe magna dei, in Romana ciuitate, opera Diaboli, & fraude, ac deinceps comparatum. Hæc illi. Similiter sunt apud alios suprà citatos.

Rationes eorum haec sunt. PRIMA, Paulus 2. Thess. 2. dicit, iam suo tempore cœpisse in mundo versari Antichristum: Mysterium, inquit, iam operatur iniquitas; & tamen ibidem dicit, Antichristum in fine mundi à Christo occidendum. Hinc ita concludit BEZA in 2. Thessal. 2. Manifeste sunt hallucinatæ, quicunque de uno quopiam homine putarunt hoc intelligi; nisi deus mihi quenquam, qui a Pauli seculo ad diem vixi, iudicij superflues maneat. Similiter argumentatur Calvinus loco citato. Confirmatur haec ratio ex Ioanne, qui in epist. I. cap. 4. dicit: Omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est.

SECUNDARATIO BEZÆ est. Quoniam Daniel, cap. 7. singularibus nominibus bestiarum, Vrsi, Leonis, Pardi, non intelligit singulares Reges; sed singula Regna, quorum unumquodque multos Reges continet. Igitur eodem modo Paulus 2. Thessal. 2. qui mirè cum Daniele consentit, per hominem peccati & filium perditionis non intelligit unam singularem personam; sed quoddam quasi corpus multorum tyrannorum.

TERTIARATIO CALVINI est, in cap. 2. prima Ioannis, ubi ait, delirare & sponte errare eos, qui unum certum hominem futurum credunt Antichristum, cùm Paulus 2. Thessal. 2. scripserit, Apostoliam venturam, & eius caput Antichristum futurum. siquidem Apostoliam est generalis quadam defectio à fide, quæ quidem unum corpus & unum regnum facit, & non est res paucorum annorum, vt sub uno Rege compleari possit.

Hæc non obstantibus, veritas est; Antichristum fore unum singularem hominem: Id quod probatur ex omnibus Scripturis & Patribus, quide Antichristo agunt. Scriptura loca sunt quinque. PRIMUS est in Evangelio Ioannis 5. Ego veni in nomine Patris mei, & non recipi sum, si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. Hæc verba de falsis

A Prophetis, in generali, non de uno aliquo intellegi volunt Musculus & Caluinus apud Marloratum in commentario huius loci; sed eorum explicatio cum antiquis Patribus & cum ipso textu pugnat. Nam hæc verba dicta esse de uno Antichristo, testantur Chrysostomus & Cyrillus in hunc locum; Item Ambrosius in 2. Thessal. 2. Hieronymus in epist. ad Algasiam, quas. 11. Augustinus tract. 29. in Ioan. Irenæus lib. 5. contra hæreses Valentini; Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum, capite de Antichristo, & alijs.

Præterea hic Dominus opponit sibi alium hominem; hoc est, persona personam; non regnum regno; neque secundam secunda: vt patet ex illis vocibus: Ego, alius, in nomine meo, in nomine suo; illum: Sicut ergo Christus, unus & singularis homo fuit; ita & Antichristus unus & singularis homo erit.

Deinde, Christus hic dicit, Antichristum à Iudeis pro Messia recipiendum. Constat autem, Iudaos unum certum & singularem hominem expectare. Item, omnes falsi Prophetæ venerunt in nomine alterius, non in nomine suo. Hier. 14. Falsi Prophetæ vaticinantur in nomine meo, novi miseros, &c. At hæc Dominus loquitur de uno quodam, qui venient in nomine suo; id est, qui non agnoscet Deum aliquem, sed extollebit se, vt Paulus ait, supra omne quod dicitur Deus.

C Denique, falsi Prophetæ permulti venerant ante Christi aduentum, permulti etiam postea venturi erant; non igitur Dominus dixisset: Si alius venerit; sed multiveniunt; si de falsis Prophetis loqui volueris.

SECUNDVS locus est Pauli 2. Thessal. 2. Non venerit discipulus primus, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. Et infra: Et runc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiat Spiritu ori sui. Hæc verba etiam aduersarij intelligunt de vero Antichristo; sed Apostolus loquitur de certa quadam & particulari persona, vt patet ex articulis Graciis: οὐδὲν λανθάνει διάθεσις τῆς ἀμφίστορος ὅλης τῆς ἀπόλετας. Et infra: καὶ τὸν διάθεσιν λανθάνεται οὐδὲν Θεοῦ; vt enim docet EPIPHANIUS hæresi 9. quæ est Samaritanorum, articuli Graci cōtrahunt significationem ad unam rem certam, ita vt διάθεσις significet hominem in cōmuni, at διάθεσις hominem singularem. Et sane mirum est, nullū aduersariorum, qui tamen iactant linguis peritiam, hoc animaduertisse.

D TERTIUS est I. Ioan. 2. vbi sic legimus: οὐδὲν λανθάνει διάθεσις θεοῦ ερχεται, καὶ τὴν διάθεσιν τωνδιός γενέσαι. vbi articulū præponit Antichristo propriè dicto; sine articulo vero effert nomen Antichristi communiter accepti: aperi- tissimè indicans, Antichristum propriè dictum esse unam personam certam; Antichristum communiter acceptum, non esse certam personam, sed in genere omnes hæreticos.

QUARTVS est, Daniel. 7. 11. & 12. capite, vbi loquitur